USUS E VERSU XIX.

(1) Redemtor *noster est* Deus in carne manifestatus: 1. Timoth. III, 16.

(2) *Ad* Pacem *redemti sumus à Pacis Principe:* Rom. V, 1.

(3) *Interea præliandum luctandumque bonis militibus, donec ad veram pacem deferantur:* Eph. VI, 10. 2. Tim. IV, 7. II, 4.

(4) *Esto, multos magnosque adversari nobis,* si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. VIII, 31.

USUS E VERSU XX.

(1) *De* Exauditione Dei *aliquoties jam monitum. Hanc ipsam multoties inculcari, apprimè necessarium.*

(2) Deus est, *qui ab antiquò fuit, immutatusque perseverabit in omne ævum.* Æternitas Dei.

(3) Affliguntur *immedicabiliter profani incorrigibiles. Quapropter* mutari te *per Dei Spiritum pulsantem patere, nec eidem obluctare:* Actor. VII, 51. Jes. LXV, 2.

(4) De Timore Dei *vid.* præc. I.

USUS E VERSU XXI.

(1) Violenta manûs injectio *cavenda sedulò v.* præc. V.

(2) Pacifici *pacificè tractandi.*

(3) *Contra ingratos perfidosque paratæ Dei plagæ.*

(4) Fœdus Dei (*baptismale*) *religiosè semper observandum, nec unquam pro cupidinum impetu temere violandum. Pariter Pacta cum proximo inviolati debent esse juris.*

USUS E VERSU XXII.

(1) Blandiloquentia *in se non improbatur. At si subsit malus animus, decipiendi scopus, &c. abominabilis fit Domino:* Psalm. V, 5.

A (2) Odium bellumque *exesse debet à cordibus nostris. Si pacem sincere sectaris,* bellum *in corde haut quaquam fovebis:* Psal. XXXIV, 15.

(3) *Quanta Linguæ sint* vulnera *ac damna, docet* Jacobus c. III, 1. seqq.

(4) *Ut technas hominum evadamus, sapientiâ serpentinâ, (qui tamen ipsi simplices columbæ sumus,) obtinendum per preces à Dominò:* Matth. X, 16.

USUS E VERSU XXIII.

(1) *Suum cuique peculiare curarum* onus, *pro ratione ætatis, sexus, officii, conditionis prosperæ vel adversæ, &c.*

(2) Portandum *illud æquanimiter, sed ita, ut subinde ingemiscamus ad imponentem Dominum, quò vires sufficiat, pondus minuat, tempestivè succurrat, totum auferat, &c. L. de* precib.

(3) *Deus unus est, qui sustentat, quippe commotiones piorum moderatur.*

(4) Vacillant justi, *sed non perenniter.*

USUS E VERSU XXIV.

(1) *Deus* Judicem Justum *se probavit probabitque semper.*

(2) Elati detrudentur *in perniciem:* vid. vers. 16.

B (3) Sanguinolenta crudelitas *vitium* quinti præc.

(4) Fraudulentia *impingit in* VIII.

(5) Decurtari *vitiis posse* vitæ spatium, *quod prolixius aliàs ex voluntate Dei esse potuisset, negari nequit, si intueamur minas ac promissa Domini. Qui Deo suo semper vivunt atque moriuntur, non moriuntur ante tempus:* Rom. XIV, 8. *vide, quæ de* Terminô vitæ *alias afferuntur in L. de* provident.

(6) Fiducia *nostra in Dominum perstare debet per quasvis vicissitudines immota* præc. I.

PSALMI LVI. DISPOSITIO

Columba fugata. Verbo fido: non timebo, Calendario Dei inscriptæ lacrymæ.

POst titulum, quô autor, tempus & occasio scriptionis exprimitur, (v. 1.) attendenda.

I. Petitio: *miserere mei Deus*: v. 2. Rationes subjunguntur (1) *fervida & continuata hostium plurimorum persecutio*: vers. 2. 3. (2) Davidis *timor*: vers. 4. nec non (3) *fiducia in Deum*: ibidem.

II. Spes erigens orantem: (1) *per Deum* vel juvante Deô, *laudabo verbum ejus*: v. 5. (2) *confidens ipsi non timebo homines carnales*: v. 5. qui ipsi describuntur (a) à *quotidianâ Davidis loquentis afflictione*, v. 6. (b) *infortunii machinatione*, ibid. (c) conspirantium *congregatione*, v. 7. (d) *insidiosâ gressuum observatione*: (e) *mortis intentatione*: ibid.

C III. Occasione horum hostium subjungitur oratio nova, (1) *eripe gressus meos*: ratio: *ob iniquitatem* modò recensitam evidentem, vers. 8. (2) *in ira populos deturba*, ib. (3) *numera fugam meam*: vers. 9. *asserva lacrymas meas*: ibid.

IV. Fiducia orantis: (1) *retroagentur hostes mei, me invocante*: v. 10. (2) *Scio, Dominum esse mecum*, ibid. (3) *Gloriabor de ipsius verbô*: v. 11. (4) *Ipsi confidens haut timebo carnem*: v. 12.

V. Promissio: (1) *exsolutionis votorum*: v. 13. (2) *laudum solemnium*: ibid. tum *ob ereptionem animæ è morte*: v. 14. tum *pedum à nutatione*: ibid. tum ob certam *in luce viventium coram Deô ambulationem*: ibid.

PSALMUS LVI.

EXPLICATIO VERSUS I.

למנצח:) Vide *Psalm.* IV, 1.

על יונת *super* vel *de columba* אלם *obmutescentiæ*:) i. e. de columbâ mutâ; (Luherus: